



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Inobedientia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

dire tenemur.

INOBEDIENTIA.

INOBEDIENTIA, qua quis suo superiori in his, in quibus subijcitur, non obedit, si hoc fiat ex intentione non obediendi, est peccatum mortale ex genere suo: quia iniuriam facit superiori, contemnens eius præceptum. Nam idem est contemnere præceptum, & nolle ex intentione obedire præcepto. Sic enim patet, quod præcepto nõ vult subdi. Et quia paria sunt, nolle ex intentione obedire, & contemnere, & contemptus ubique damnable censetur, idõ mortale peccatum est. Et hic intellige per præceptum, non tantum illud præceptum formale obligans ad mortale: vt est dicitur in virtute spiritus sancti, & c. vel præcipiendo mādamus, & huiusmodi, sed omne mādatum quomodoocunque obligans subditum ad obediendum, prout præceptum in mortalibus distinguitur contra consilium. Intellige etiam inobedientiam formaliter, scilicet ex intentione. Aliter veniale est, vt pro minima, vel ratione actus imperfecti. Si autem non obediat non ex intentione non obediendi, sed ex negligentia, vel alia causa, tunc peccatum iudicandum est secundum materiam circa quam est. Nam si circa præcepta Dei, vel præcepta formalia superiorum, peccatur mortaliter, nisi impotentia, vel causa sufficiens excuset, infra, Obedientia. §. 12. Præceptum. §. quarto.

² Non obedire legis præcepto, quando lex est iusta, acceptata, & non abrogata per contrariam consuetudinem est peccatum mortale, etiam quod talis lex sit pœnalis, continens tantum vnum præceptum: vt dicendo, qui percussit aliquem vulnere, soluat 10, aut eos: nisi adsit ignorantia non crassa, & non affectata, quæ possit excusare, vel nisi probabiliter crederet, quod si adesset legislator, non vellet in tali casu obligare, vel nisi quando contrafaciens legi, non credit contrafacere intentioni statuentis, etiam quod secundum veritatem contrafaceret,

quod tamen existimat non esse. Et hæc determinatio est secundum mentem S. Thom. 4. sentent. distinct. 15. & secunda secundæ. q. 147. vbi loquitur de ieiunio. & Pa. in rub. de ot. ser. ie. Et sicut dictum est de præceptis statutorum: ita dicendum est de præceptis prelatorum, quò ad culpam, quia obligat siue sint pœnalia, siue non: nisi quando lex vel præceptum declararet non obligare ad culpam, sed tantum ad pœnam, sicut fit in constitutionibus fratrum prædicatorum, infra lex. §. 4. Distinctio quam ponit Hen. de Can. in quol. de præceptis statutorum, est inutilis.

INQUIETUDO.

INQUIETUDO mentis, est filia auaritiæ. Nã ex hoc quod quis valde ad aliquid afficitur, circa illud mentem occupatam tenet, vel circa negotia secularia ex affectu auaritiæ, vel circa venerea, vel circa alia, secundum diuersum affectum hominum. Et communiter veniale peccatum est, quando versatur circa materiam venialiter malam. Si verò circa materiam malam mortaliter, vt esset fornicatio, vel huiusmodi, & cum animo deliberato, tunc mortale esset peccatum, secundum Caietanum in summa, ibi. Si ob mentis inquietudinem quis omittat, quæ ad salutem necessaria sunt, vt confessionem, & similia, talis inquietudo mortalis est.

INQUISITIO.

INQUISITIO, per quam iudicialiter proceditur ad inquitæda crimina, si sit specialis contra certam personam, ad pœnam imponendam, requirit clamorosam infamiam præcedentem, in cap. qualiter & quando ei. secundo. de accusat. non autem quando est generalissima, vel generalis super aliqua provincia vel loco. de accusatione. cap. sicut olim. Sed si fiat contra specialem personam, aut sit contra prælatum secularem, & tunc non debet fieri, nisi tanta præcedat infamia, vt sine scandalo, vel periculo dissimulari non possit, vt in dict. c. qualiter & quando. vel sit contra subditum secula

secula